



**A**Lgerus Saxo literarum amore hinc inde pro-  
fectus ad viros doctos, ubiq; sese legendo &  
disputando exercuit. Postea uerò Corbeiensis Sa-  
xonici monasterij (que schola eius temporis & lo-  
ci potius dicenda) monachus factus, S. Benedicti  
regulas suscepit. Erat carmine & prosa æquè do-  
ctus, ingenio subtili, atque rara eloquentia prædi-  
tus. Hinc factum ut magnam autoritatem apud Sa-  
xones sibi compararit. Inter alia scripsit urbano &  
lepido stilo insigne uolumen, de Sacramento alta-  
ris, & aliud de Gratia & libero arbitrio. Tandē ue-  
ro circa annum Domini 1050 uiam uniuersæ carnis  
ingressus est. Trit. in script, Eccles.